

fuerint, quandiu ibi sunt interdicti sententiae supponatis. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XIII Kal. Junii pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 397. 1227. 15. Juni.

P. Gregor IX. nimmt das Kloster zum heil. Kreuz in seinen besondern Schutz und ertheilt demselben mehrere Rechte und Vergünstigungen.

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis in Cristo filiabus abbatissae monasterii sanctae crucis in Misna eiusque sororibus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet aut robur quod absit sacrae religionis infringat. Eapropter dilectae in domino filiae vestris iustis postulationibus clementer annuimus et praefatum monasterium sanctae dei genitricis et virginis Mariae de sancta cruce in Misna, in quo divino estis obsequio mancipatae, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascunque possessiones, quaecumque bona idem monasterium impraesentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante domino poterit adipisci, firma vobis et eis quae vobis successerint et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, quinque mansos ante claustrum cum silva adiacenti, vinea molendino et insula; possessiones in monte beati Martini cum decem mansis, decimis et duabus silvis propepositis; in Buchuen sedecim mansos et unum allodium cum duabus silvis adiacentibus, Dobrawiz octo mansos et unum allodium et molendinum cum silva propeposita; in Vduen quatuor mansos et dimidium cum allodio prato et silva propeposita; in Lupziz quatuor mansos et pratum cum silva propeposita; in Nuendorf quatuor mansos et tria prata; in Luppia quadraginta mansos et dimidium cum decimis possessionibus molendino et tribus silvis; in villa Sumeruelt praedia cum triginta duobus mansis, Pezzele duodecim mansos cum silva et tribus pratis, possessiones in Lambrehteswalde cum decimis; in civitate Misna sex areas; in villa Duberiz cum octo mansis praedia et allodium cum quatuor mansis; in villa Wiltberch quatuor mansos, in villa in Sachowe^{a)} quatuor mansos et alias possessiones vestras cum pratis vineis terris nemoribus usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et

a) Wildberg und Sachsdorf, Par. Weisstropp.